

V
B J
C

Posnanien. Parochiæ.

1 **Rev. Pater.** QUidquid dicatur *in contraria Informatione* rescribendum omninò videtur in hac Causa = *Reportato Brevi*, *& circumscriptis omnibus gestis coram Judicibus delegatis*, *ad Rotam* = prout iterum humillimè supplicamus.

2 Legitimæ namque, ac justæ sunt Causæ, ob quas R. D. Parochus Rucinski Principalis recusavit, ac in suspectos allegavit omnes tres Judices delegatos, ut probavimus *in nostra Informatione à §. 8. usque ad 11.*; Cæterum, cum versemur in materia favorabili recusationis, cumque valdè periculosum sit coram Judice suspecto litigare, communiter apud *Doctores* receptum, quamlibet causam etiam levem, & aliquo modo probabilem sufficere pro recusatione Judicum; præsertim ad placitum unius ex Collitigantibus delegatorum, proùt rectè aduerit *Gloss. in Leg. Apertissimi verb. Recusare C. de Judic. Paris. cons. 31. num. 49. lib. 1.*, *Passerin. in cap. Judex de offic.*, *& potest. Jud. deleg. num. 3. in 6.*, ibi = *In casibus verò non expressis in jure arbitrarium esse Judici decernere, quæ sit justa Causa dixit Rota decis. 2. num. 10. par. 2. divers.*, *ubi num. 13.*, *quod SUFFICIT ETIAM LEVIS Causa*, *& hujusmodi Causa non est necessè*, *quod sit probata ad hoc ut valeat recusatio*, *& Judex teneatur interim abstinere*, *SED SUFFICIT QUOD SIT PROBABILIS*.

3 *Contraria Informatio* opponit, quod recusatio Judicum delegatorum non reperiatur *in Processu* Causæ transportato, & per consequens non fuerit facta in actis Causæ, sed extrajudicialiter dumtaxat præsentata fuerit in manibus unius ex Judicibus Commissariis, nempè Reverendissimo Vvosinski, sed hęc exceptio non subsistit *in facto*, dum causam habuit ab ęquivoco Domini mei exadversò egregiè scribentis, quia veritas est, quod in *Processu* de Partibus per me communicato Domino contrario Patrono, reperiuntur omnia Acta coram Judicibus delegatis gesta, inter quæ etiam reperitur Instrumentum, seù Libellus recusatorius sub die 6. Novembris anni 1750. præsentatus in manibus unius ex Judicibus Commissariis in præsentia aliorum duorum à D. Casimiro Trucholski, qui in pede ejusdem Libelli recusatorii fidem facit de executione, seù præsentatione ejusdem facta coram tribus Judicibus delegatis, proùt videre est *in nostro Summario num. 7.*, *& litt. A.*, undè stante hac veritate facti, cessat contraria exceptio, ampliùs non proponenda à consueta ingenuitate D. mei exadversò Comparentis.

4 Hinc corruit etiam alia exceptio, quod dici non possit de Actis recusatio Judicum, statim ac Judices sub dicta die 6. Novem-

bris

bris, nulla facta mentione de recusatione, per Decretum mandant citari D. Principalem quo secunda Juris post Epiphaniam; Quandoquidem si R. D. Principalis citatus ad comparendum coram omnibus tribus Judicibus delegatis pro die 6. Novemb. 1750. vigore Literarum citatorialium, seu, ut ajunt, innotescentialium, quæ ab ipsa Parte Adversa productæ fuerunt sub dicta die 6. Novembris, ut recognosci potest *in Summario num.* 8., *& in contr. Summario num.* 5., dictus, inquam, Principalis præsentare fecit Libellum recusatorium à se juratum, & subscriptum sub eadem die 6. Novembris in *primordio Judicii* mediante persona R. P. D. Casimiri Tucholski in præsentia, & conspectu nedum omnium trium Judicum pro Tribunali sedentium, sed etiam Procuratoris Partis Adversæ, quemadmodum patet *ex Summario num.* 7. *lit. A. & num.* 8., sique libellus recusatorius *inter Acta* Judicum delegatorum descriptus fuit à Notario Causæ, veluti præsentatus coram Judicibus in primordio Judici sub sæpedicta die 6. Novembris, profectò percipere non possumus, quomodo recusatio dici possit extrajudicialis, & non facta in Actis Causæ ex eo, quod de recusatione nulla mentio fiat in Decreto a Judicibus lato sub eadem die 6. Novembris, dum id potiùs probat, quod Judices delegati dissimulaverint recusationem, in eorum personas factam, hocque non obstante voluerint in Causa ulterius procedere, ut cuique consideranti patebit.

5 Rursus omitti poterat *in contraria Informatione* §. 13., quod allegatio suspicionis attendi non mereatur, veluti facta à Persona speciale mandatum à Principali non habente; Præterquamquod enim sufficeret subsequens ratificatio recusationis per Principalem facta, dum statim expedivit ab hoc Supremo Tribunali Citationem specialem pro effectu impediendi Judicibus recusatis prosequutionem Causæ, cessat verò quælibet Partis amaritudo, quia fuit Judicibus præsentatus à Casimiro Tucholski ipse Libellus recusatorius, continens causas recusationis, juramentum, & subscriptionem ejusdem Parochi Principalis, ut patet ex *Summario num.* 7., ubi in fine Libelli legitur subscriptio Principalis sub hisce verbis = LAURENTIUS RUCINSKI *Ecclesiæ Parochialis Niepouzovien. Curatus protestor, recuso, appello, & juro manu propria* =; Undè si allegatio recusationis dici possit facta a Persona *extranea*, non autem ab ipso Principali judicandum relinquimus sapientissimo Reverendissimorum PP. judicio.

6 Demùm ejusdem farinæ est exceptio, quod allegatio suspicionis facta fuerit uni tantum ex Judicibus Commissariis, sicque reliqui possint in Causa procedere, tum quia falsum est, quod unus dumtaxat ex Judicibus fuerit recusatus, dum suspicio à Principali proposita fuit contra omnes tres Judices, & in manibus unius *in præsentia* aliorum consignata, ut in

Sum-

*Summario num.*7. *& litt. A.*; Tùm quia causa suspicionis ob interesse, quod habet in Causa Canonicus *Krall*, veluti condemnatus in Decreto Nunciaturæ ad restitutionem triginta marcarum, quas una simul cum Instigatore exegit à Principali *Summario num. primo post litt. H.*, *& num.*4. *litt. A.*, militat contra Canonicos Cathedralis Posnaniæ juxta expressum *Textum in cap. Cum Raphael* 3. *de offic. & potest. Iudic. deleg.* relatum *in nostra Facti* §.8.

7 Tum quia, cum omnes tres Judices *una simul*, *& collegialiter* voluerint in Causa procedere, ut recognosci potest tàm *in nostro Summario num.*8. *& litt A. B. & C.*, quàm *in contrario num.*5. *&* 6., ibi = *Coram Reverendissimis Dominis ANDREA MASZHOVSKI Decano*, *LAURENTIO SVINIARSKI Custode*, *atque SIMONE VVOSINSKI Canonico Ecclesiæ Cathedralis Posnaniæ à Sancta Sede ad Causam infrascriptam specialiter datis Judicibus Delegatis Apostolicis personaliter comparens &c. Rev. Antonius Prolovicz &c. appellans &c. petiit &c. se Judices competentes pronunciari &c. Et Reverendissimi Judices Delegati*, *qui supra Apostolici &c. jurisdictionem suam Commissorialem Apostolicam in Dei nomine fundarunt*, *se Judices Causæ*, *& Partibus competentes pronunciarunt &c.* = sequitur inde, quod uno recusato, cæteri in Causa ulterius procedere nequeant, sed aliorum etiam Conjudicum expiret jurisdictio juxta clarum *Textum in cap. Cum super de offic. Deleg.*, & in puncto aliis relatis docet *Passerin in cap. Si contra unum* 4. *num.*7. *tit. de offic. & potest. Iud. Deleg. in* 6.

8 Posito igitur, quod Judices Delegati nulliter *ex defectu Iurisdictionis* processerint in Causa post factam legitimam recusationem, quodque multo minùs hodie in eadem Causa ulteriùs procedere queant, sine ullo dubio ordinanda est ab hoc Supremo Tribunali reportatio Brevis prævia circumscriptione Actorum factorum coram supradictis Judicibus, atque per aliud Breve non est committenda Causa *in Partibus*, sed *in Curia* ad Sacram Rotam; quia *regula illa*, quod semel commissa Causa per Breve in Partibus, per aliud Breve continuare debeat, procedit in illis Regnis, & Provinciis, in quibus viget Indultum Apostolicum *De Causis non avocandis*, secùs verò *ubi non adest simile Indultum*, prout deficit in Regno Poloniæ, ubi Causæ in gradu Appellationis committuntur hic in Curia Romana, vel Prælatis, vel *Sacræ Rotæ*, prout notissimum est Reverendissimis Patribus.

9 Quamvisque Causæ etiam Poloniæ quandoque committantur per Breve in Partibus, attamen id pendet *à solo arbitrio* Supremi Principis absque eo quod Pars recurrens, seu appellans hoc jus habeat ad obtinendam subdelegationem Judicum in Partibus per Breve, proptereaque cum in præ-

senti

ſenti Cauſa judicaverint tum Ordinarius *in prima*, tum Metropolitanus *in ſecunda*, tum Nuncius Apoſtolicus *in tertia* Inſtantia, cumque *integer Proceſſus ſumptibus Principalis jam od Urbem tranſpartatus reperiatur*, itaut Pars Adverſa per firmationem Cauſæ hic inCuria pati non debeat expenſas tranſportationis Actorum.

10 Cumque rurſus agatur de graviſſima Cauſa privationis *Parochiæ*, quæ pœna *à Doctoribus* aſſimilatur ipſi pœnæ capitali, & major eſt pœna excommunicationis, & conſequenter inter Cauſas *majores* à Sacro Concilio *in Cap. Cauſæ omnes &c. Sedi Apoſtolicæ, & Romanæ Curiæ reſervatas* connumerari poſſit, & debeat, cumque demum pauper, & infelix Parochus Principalis certus ſit iterum ſuccumbendi, ſi per Breve committatur in Partibus, tum ob nimiam facilitatem, qua, contra SS. Canones, & Sac. Conc. Trident. utuntur Judices Poloniæ in privandis Parochis propria Parochia, tum ob amicitias, & protectiones, quas habet D. Adverſarius in Civitate Poſnaniæ, & reſpectivè inimicitias, & malevolentias, quas contraxit in eadem Civitate infelix Principalis, ut hæc omnia probavimus *in noſtra Facti* §. 13. *& ſeq.*, ſanè in his graviſſimis circumſtantiis videant RR. PP. quàm juſtum, & æquum ſit, ut hæc graviſſima Cauſa poſt tria Judicata de Partibus, devolvatur tandem, & cognoſcatur in Sacra Rota per Judices ſpectatiſſimos, ac Sacrorum Canonum peritiſſimos; Prætermiſſo etiam favore Curiæ, qui apud RR. PP. pariter alicujus ponderis reputari deberet.

Quare &c.

Antonius Dominicus Franci.

Signatura Juſtitiæ

R. P. D.

MANNELLI

Poſnanien. Decimarum.

PRO

Rev. D. Laurentio Rucinski Parocho Niepruſzovien.

CONTRA

RR. DD. Inſtigatorem Fiſcalem Curiæ Epiſcopalis Poſnanien., ac Antonium Prolevicz.

D

Reſponſio ex gratia viden.

12

Typis Bernabò 1752.